




NIGRA PENNA

AQUILÆ ALBÆ

Tristi & atro fatorum Serenissimi Augusti Secundi Poloniarum REGIS Colore fusca Brevi.

Vitam & obitum ejusdem Serenissimi Principis In se complectens depingensq́ Episodio Anno Domini 1733. Mense Februario.



Echia da lachrymas heu! Rex tuus! ore cruentas,
Deciduus (superum jussibus) hausit aquas,
Non illi par orbis erat, dum vixerat orbi,
Major nam orbe fuit, sin licet Orbe minor,
Regibus hunc priscis composuit æmula virtus;
Hac eadem Regum fecerat esse Patrem,
Sudavit multum, credo, Lucina laborans
Tam grandem in cunas prosiluisse virum,

Sæcula

Sæcula sudabant talem genitura potentem;
Tu loco sudoris; Lechia luge Patrem;
Exterus hic regnavit Heros, sed Principe tanto
Quis tamen abnueret, subjuga colla trahi,
Et libertatis Majestatisquè Decorem
Noverat ille, suo mista fovere sinu
Quid cupis alma tuos Sarmatia, posse Quirites;
Proveniant medij sic tibi sæpe Ioves.
Vnum illud prope forte notas, quod bella gerenti.
Succubuisse datum, succubuisse datur.
Vt bellis, sic pace tibi Rex profuit olim;
Hæc spartham dederant; hâc tibi Pârta dedit
Luge, fleas, ulula, lachrymas non sponte cadentes
Absterfit gracilis non dederatquè diu.

MIrati Proceres Lechiæ pars prima Senatûs;
Purpureas Lachrymis tingite posco Togas.
Nulla erit illicio propiùs quæ blandior ipse
Non madeat Dominum comperegrina suum.
Vt solio insedit solius hic erat ardor
Muriceos plurimùm spontè creâsse Patres
Non cumulâsse bonîs tantum sed maxima binîs
Muneribûs ferri munera sæpe suis.
Cuncta loqui seù scire nefas satis esse probetur,
Et lachrymas referent & monumenta viri.

ASt heros civisq́; simul sta; cæsar ad hastam
Iam cecidit fatum hoc; arma silenda boant
Credideris te, illo jacuit, quo pulvere Magnus,
Et cecidisse simul & perijsse simul.
Projce qvid vacuis prosunt mavortia campis,
Non est iam vigilis tanta ruina Throni

Iam

Iam Reges Gladij Saxonum gloria belli
Concruciata iacet, quid tua bello cupis;
Iam Duce decesso non tantum robur in armis,
Exemptum ex anima corpus inane iaces
Credideris iacuisse tuos cum Marte labores
Ast hæc, quæ gessit nulla trophea cadent,
Vivet parte tuus Cæsar meliore superstes,
Horrendum Nomen nam arma Polona ferent.

AD populum redeo quorum natura dolendi
Seu male suscipiant seu bene fata ferant,
Horum quis lacrymas non extorquente Monarcha
Vel rideat, vel quis sistere posse, queat,
Hi sub prætextis nunquam gemuere tributis,
Redimerent Dominum, si potuisse foret
Annonâ graviùs populo mors Regis iniqua
Principe defecto pauper ubiquè casa.

ERgo Senatus, Eques, Civis, Plebs cuncta Poloni
Imperij; lachrymas cui dare semper habes
Et Patria & vester Pater (heu! mihi!) desijt esse
Da gemitus Civis, daq; Senatus Eques
Hos recipe Invicte olim Rex, nunc pulvere parve
Quod tamen Herculeus sit, CINIS iste; probas
Parva quidem magnis ferimus virtutibus. Ecce
Pectore si grato conditur Urna tui
Amplius ast quis quid potuit præstare Monarcha
Non Domino melior lacryma quæq; suo
Sistite Plangentes Peregrineq; siste viator
Quem tangunt nostri funeris Astra: legat.

HIc iacet Otthonum sangvis: Cæsarea Roma
Saxonicâ gessit qui benè sceptra manu,

Tertius ex quibus; Albertina ad funera Gneſnæ
Sarmatico Capiti mox diadema tulit
Alter Is Auguſtus dictus numerate priori;
Sed cui ad numerum nemo ſecundus erit
Hunc ſupra invidiam, ſi mundus flere recuſat,
Excorde & Saxo Lechia tota gemet.



